

lex usque ad Joannem prophetaverunt. Nam sub verbo *prophetaverunt*, tam prædictiones futurorum quam promissiones, et tota instructio legis intelligi possunt, et omnia ad intentionem Christi sunt accommodata. Quia sensus præcipuus est totam doctrinam legis et Prophetarum ad tempus Messiae fuisse ordinatam, et in illo suum complementum recepisse, et hoc a prædicatione Joannis maxime sumpsisse initium. Licet in loco Matthæi magis videatur Christus Dominus loqui de lege et Prophetis, ut prædicentibus futura, ut ibi Hieronymus et Chrysostomus exponunt, vel ut tradentibus moralem doctrinam infirmo statui accommodatam, ut etiam videntur sentire Theophyl., Matth. 11, et Jansen., cap. 47 Concord. Uterius vero addere possumus, etiamsi verba illa de lege ut præcipiente intelligerentur, ex illis non colligi legem illam fuisse mortuam a tempore Joannis; sed, quia ægrotare tunc cœpit, non multo post mortem Christi moritura, ideo usque ad Joannem fuisse dicitur, ut dixit Maldonat., Matthæi quinto, vers. decimo-septimo, in fine.

12. *Ad posteriorem objectionem.*—Ad posteriorem objectionem respondetur imprimis, si alicujus esset momenti, non solum probare legem fuisse mortuam, sed etiam mortiferam ante Christi mortem, quia colere Deum falsis signis intrinsece malum est. Unde necessario dicendum est illa non fuisse signa falsa eo tempore, quia vel non sumebantur ut signa talium mysteriorum quæ jam erant impleta, sed secundum alias significationes veras, quæ nunquam deerant; nam circumcisio semper significare potuit spiritualem circumcisionem, vel resurrectionem, ut Cyprianus, epistola quinquagesima-nona, dixit; vel non sumebantur ut significantia mysterium cum habitudine ad tempus futurum, sed secundum se. De qua re plura dicemus capitibus decimo-quarto et decimo-sexto.

## CAPUT XIII.

AN LEX VETUS CESSAVERIT, QUOAD OBLIGATIONEM, IN MORTE VEL RESURRECTIONE CHRISTI, VEL ANTE DIEM PENTECOSTES.

1. *Prima sententia affirmans in puncto mortis Christi mortuam fuisse legem veterem.*—Excluso illo primo tempore, dicendum est de secundo, sub quo comprehendimus tum instans mortis Christi, tum reliquum tempus usque ad diem Pentecostes, quia ex resolu-

tione prioris puncti facile de reliquo tempore constabit. In primo ergo multorum sententia est, in puncto mortis Christi fuisse mortuam legem veterem quoad obligationem. Hæc videtur esse opinio D. Thomæ in 4, distinct. 1, quæst. 2, art. 5, quæstiunc. 3, et aliorum auctorum quos retuli in capite præcedenti; et Marsil. in 4, q. 2, art. 1, part. 4; Adrian., quæst. 1, in princip.; tribui etiam solet Augustino et Hieronymo; sed nihil tale docuerunt, ut infra ostendam. Suaderi autem potest primo omnibus testimoniis Pauli quibus præcedentem sententiam confirmavimus; nam sicut probant fuisse vivam legem illam usque ad mortem Christi, ita videntur probare per illam fuisse mortuam; tum quia in eo puncto lex fuit omnino impleta; tum quia sacerdotium tunc translatum est, in cujus signum velum templi scissum est, atque etiam in signum quod tunc fuit maceries diruta, quæ utrumque populum dividebat; illa autem erat lex, ut supra dixi, quæ per velum illud etiam significabatur; tum præterea quia tunc completa est redemptio; una enim oblatione consummavit sanctificatos; tum denique quia figuræ omnes et sacrificia tunc completa sunt; ergo tunc etiam lex fuit extincta.

2. Et confirmatur primo ex 8 et 9 ad Hebr., ubi ex similitudine testamenti probatur Testamentum novum non fuisse confirmatum usque ad mortem Christi; nam eodem exemplo probatur fuisse confirmatum in ipsa morte; ergo tunc etiam est revocatum Testamentum vetus; ergo et lex. Similiter confirmatur secundo ex 7 ad Roman., ubi per similitudinem matrimonii duratio legis declaratur: nam, sicut vivente viro mulier subiecta est legi, ita viro mortuo liberatur a lege ipsius; ergo similiter, ex sententia Pauli, mortuo Christo liberata est synagoga a legis obligatione. Confirmatur tandem, quia ab instanti mortis Christi nunquam licuit spem ponere in cæremoniis vel sacramentis illius legis, ut fatetur Augustin. in Epistol. ad Hieron. infra tractanda, et colligitur ex illo ad Galat. 5: *Qui in lege justificamini, a gratia excidistis*, scilicet, ponendo spem in lege: nam alias non semper fuit malum uti legalibus, ut infra videbimus. Ponere autem spem in illis sacramentis nihil aliud erat quam accipere illa ut necessaria ad salutem, ut sentiunt D. Thomas et alii scholastici in 4, distinct. 1 et 3: ergo nunquam licuit illis uti ut necessariis: ergo signum est cessasse omnino obligationem legis.

3. *Secunda sententia affirmans legem veterem in morte Christi lethale vulnus accepisse, et paulo post mortuam fuisse.*—Nihilominus est secunda sententia asserens, licet verum sit, legem veterem per mortem Christi mortuam fuisse, nihilominus non esse hoc intelligendum ita rigore et mathematice, ut in eodem momento amiserit illa lex vim obligandi; sed moraliter id intelligendum esse, scilicet, paulo post mortem, ita ut per mortem Christi acceperit lex lethale vulnus (ut sic dicam), ratione cujus statim cœpit deficere, et paulo post extincta est. Ita sentiunt in 4, distinct. 3, Bonavent., part. 2, articul. 3, q. 2, in fine; Scot., quæst. 4; Sot., quæst. 7, art. 3, et lib. 2 de Justit., quæst. 5, artic. 4; Gabr., in 4, distinct. 1, quæst. 4; Maldon., Matth. 5, circa verba illa, *Non veni legem solvere*, etc. Et existimo esse sententiam Augustini et Hieronymi; nam Augustinus, Epist. 8 et 87, inter Epistolas Hieronym., hæc habet verba: *Post passionem et resurrectionem Christi, dato ac manifestato Sacramento gratiæ secundum ordinem Melchisedec, adhuc putabant vetera sacramenta non ex consuetudine solemnitate, sed ex necessitate salutis esse celebranda*, ubi Judæi subintelligendi sunt: nam hunc errorem ponit Augustinus inter eos quos Paulus in Judæis reprehendebat. Non ergo intellexit Augustinus statim post passionem legem illam desiisse esse necessariam, quod est esse mortuam quoad obligationem, sed post passionem et resurrectionem; imo addit etiam *manifestationem Sacramenti gratiæ*, tanquam quid distinctum, quod postea explicabimus. Nec ab hac sententia alienus est Hieronymus; nam Epistola octogesima-nona, alias undecima, apud Augustinum, referens sententiam Hieronymi, in illa non dubitat, nec aliter declarat tempus in quo lex illa cœpit esse mortua, sed absolute dicit, post Evangelium Christi; neque invenio locum in quo dixerit post passionem vel resurrectionem. Hanc ergo sententiam veriorum existimo: tribus autem assertionibus illam declarabo.

4. *Prima conclusio.*—Dico primo: lex vetus non fuit mortua quoad obligationem in instanti mortis Christi. Probatur, quia lex vetus non amisit obligationem suam, donec lex nova cœpit obligare; sed lex nova non cœpit obligare ab instanti mortis Christi: ergo nec lex vetus ex tunc amisit obligationem suam. Consequentia per se nota est. Minorem vero suppono nunc: nam in libro sequenti latius est declaranda et probanda. Major au-

tem proposita communiter recepta est. Eamque clare docuit Bernardus in Epistola septuagesima-septima ad Hugon., cujus sententiam in sequentibus latius expendemus. Quam etiam expresse sequitur Hugo de Sancto Victore, libro 2 de Sacrament., part. 6, cap. 3. Multum etiam favet D. Thomas in 4, dist. 3, a. 5, quæstiunc. 3; nam de Baptismo loquens inquit: *Post passionem obligatorius fuit, quando circumcisio mortua fuit, quantum ad omnes ad quos institutio potuit pervenire*. Sentit ergo non antea, nec aliter fuisse omnino mortuam circumcisionem quantum ad obligationem. Et rationem subindicans addit: *Nec præceptum obligat antequam sit divulgatum*. Agit autem de divino præcepto Baptismi, et tacite supponit principium de quo tractamus, videlicet, unius legis obligationem non fuisse exclusam, nisi prout alterius obligatio inducebatur. Quod principium late comprobatur Soto supra, dicens pro certo esse habendum, ex Paulo ad Hebræos 7, dicente: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus*; et statim: *Introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum*, ubi sentit introductionem unius fuisse reprobationem alterius; et cap. 8, ad hoc allegat promissionem Dei per Jeremiam his verbis: *Consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum*. Et infra declarat hoc testamentum dicens: *Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentibus eorum, et in cordibus eorum superscribam eas*, etc.; et in fine capitis concludit: *Dicens autem novum veteravit prius*, sicut etiam e converso dixit in cap. 10: *Aufert primum, ut secundum statuat*: ergo lex vetus per introductionem legis novæ ablata fuit: non ergo prius cessavit obligare lex vetus quam nova incepit obligare. Quod etiam recte confirmant verba Pauli ad Ephesios, 2: *Legem mandatorum decretis evacuans*: nam, ut supra ostendi, vox *decretis* legem evangelicam significat, et illa seu per illam dicitur CHRISTUS evacuasse legem veterem, utique formaliter, tanquam per formam excludentem aliam: ergo non fuit prior lex evacuata quoad obligationem, donec obligatio novæ introducta est.

5. *Rationibus et congruentiis probatur.*—Unde etiam potest idem principium rationibus seu congruentiis ostendi. Primo, quia non debuit Dei populus privari lege, nisi propter meliorem legem. Secundo, quia nullum est

fundamentum ad affirmandum alium abrogationis modum, seu statum medium, seu tempus quasi neutrum. Tertio, quia non legimus in morte Christi factam talem abrogationem formalem et expressam, neque etiam ostendi potest mortem ipsam Christi habuisse formalem repugnantiam cum obligatione illius legis, aut fuisse positam pro termino durationis illius seu obligationis ejus: ergo non potest talis abrogatio cum fundamento affirmari. Et potest tandem hoc confirmari, quia obligatio illius legis mansit in illo populo post Christi mortem, saltem ex dictamine conscientiae erroneae, seu ignorantis abrogationem; sed illa ignorantia erat per se ac necessaria in illo populo, etiam in morte Christi, et post illam, quia nec abrogatio suae legis illi fuerat praedicata, neque etiam ex aliis quae praedicata illi fuerant, vel ex Testamento veteri satis colligebatur, quod in puncto mortis Messiae legis obligatio statim esset cessatura. Unde licet Judaei, qui Christi praedicationem audierant, et miracula viderant, tenerentur credere ipsum esse Messiam et Redemptorem mundi, non ideo cogebantur credere legis suae obligationem cessasse in Christi morte. Nam etiam ipsi Apostoli et discipuli Domini hoc ignorarunt. Erat ergo illa ignorantia per se invincibilis: ergo, e converso, abrogatio legis non fuerat tunc satis promulgata: ergo, non est verisimile fuisse tunc factam. Probatur haec ultima consequentia, tum quia nullius utilitatis vel fructus fuisset talis abrogatio; tum etiam quia Deus disponit omnia suaviter et modo hominibus accommodato; lex autem positiva humana non censetur abrogata, donec talis abrogatio sit de se sufficienter promulgata vel divulgata: ergo idem censendum est de lege positiva divina hominibus data.

6. *Ad fundamenta contraria responsio.*—Neque erit difficile ad fundamenta contrariae sententiae respondere. Et imprimis nego, ex testimoniis Pauli, ita colligi desiisse legem illam obligare in morte Christi, sicut colligitur obligasse ante mortem, vel unum ex alio inferri, cum sint valde diversa, et non necessario connexa. Cum autem dicitur legem illam fuisse omnino impletam in morte Christi, nego assumptum quoad particulam *omnino*, nam multa erant praedicta et figurata per illam legem, quae usque ad Christi resurrectionem, vel etiam post illam, impleta non sunt. Et deinde licet in ratione figurae vel prophetiae fuisset impleta, oportuit impleri in ratione legis per expressam revocationem, aut per no-

vam legem, quod factum non est in morte Christi. Unde ad aliud de sacerdotii translatione, nego etiam vetus sacerdotium plene translatum esse in morte Christi, quia licet Christus esset Sacerdos, et sacrificium obtulisset, nondum tamen illud, ut perpetuo duraturum in mundo, stabilierat et manifestaverat. Alioqui etiam ante passionem fuisset translatum vetus sacerdotium, saltem in nocte coenae, ubi Christus se exhibuit sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, et Apostolos suos sacerdotes creavit: certum est autem tunc non fuisse ita translatum sacerdotium vetus, ut fuerit ex tunc sublatum, licet dici possit inchoata ejus translatio, quia coepit exerceri et institui sacerdotium per quod erat auferendum. In morte etiam Christi dici potest sacerdotium vetus impletum, quia per sacrificium crucis impletum sunt figurae omnes antiquorum sacrificiorum, et consequenter fuit confirmata quodammodo translatio antiqui sacerdotii. Non tamen fuit statim executioni mandata, quia non expediebat, donec novus ordo Pontificum seu Episcoporum in Ecclesia Christi institueretur, et novus Pontifex summus et Christi vicarius crearetur, quod tunc factum non erat, sed post resurrectionem factum est. Imo etiam oportuit sacerdotium novum in Ecclesia publicari, priusquam vetus omnino deleteretur, ut postea dicemus. Et ob eandem rationem, non satis est quod in morte Christi fuerit completa redemptio et omnes antiquae figurae et umbrae; plus enim erat necessarium ut lex in ratione legis impleretur. Nec etiam obstat quod velum templi scissum sit in morte Christi, tum quia illud per se primo ac potissime fuit signum apertionis januae regni caelestis, quam proinde significavit ut praesentem, et in eodem momento factam. Reliqua vero, scilicet ablationem legis vel translationem sacerdotii, significavit potius per quamdam accommodationem vel consecutionem, et ideo non oportet ut illam significaverit ut praesentem et jam factam, sed ut futuram ex vi mortis et redemptionis Christi, seu, quod perinde est, ut factam tunc in radice et in fundamento, non ut in se statim consummatam.

7. *Ad confirmationem ex Epistola ad Hebraeos.*—Ad primam confirmationem ex Heb. cap. 8 et 9, concedo novum Testamentum fuisse confirmatum in morte et per mortem Christi; non tamen recte inde infertur, statim et quasi formaliter exclusisse antiquum quoad obligationem legis; quia testamentum hominis per mortem confirmatum non statim

operatur, donec aperiatur authentice, et sufficienter notificetur. Sic ergo Testamentum novum, licet in morte Christi fuerit confirmatum, erat tamen in illo puncto veluti clausum, et ideo oportuit prius quasi aperiri ac promulgari, ut antiquum omnino excluderet. Tunc ergo fundamentaliter, ut sic dicam, fuit rescissum vetus Testamentum, nondum tamen formaliter et in se. Cui consonat quod dixit Paulus in fine illius capituli: *Dicendo novum veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.* Favet etiam Chrysostomus, homilia 16, in capit. 9, dicens Testamentum factum esse firmum et ratum in die mortis, postea vero impletam fuisse promissionem in illo factam; ita enim de aliis effectibus censendum est.

8. *Alter locus Pauli varias habet significantiones.*—*Responsio.*—Alter vero locus Pauli ad Romanos 7, in se quidem difficilior est, quia est obscurus et plures habet expositiones; et quod ad praesens spectat, non caret difficultate, nam Paulus ita concludit: *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi;* ubi Ambrosius, Chrysostomus, homil. 12, et Theoph., Adam., Cajetan., Tolet. et alii, per *corpus Christi* interpretantur corpus crucifixum et mortuum pro nobis, atque adeo mortem ipsam; ergo sensit Paulus, legem fuisse mortuam in morte Christi, id est, in eodem momento in quo mortuus fuit Christus. Dices Paulum non dicere in morte, sed per corpus Christi, quod potest recte intelligi, id est, per efficaciam et virtutem mortis ejus. Nam propter virtutem mortis Christi mortua est lex, non tamen statim, sed quando et quomodo oportuit. Eo vel maxime, quod Paulus non dixit directe mortuam esse legem, sed nos esse mortificatos legi: constat autem nos non esse mortificatos legi in tempore mortis Christi, nec per ipsam mortem ejus formaliter, ut sic dicam; sed mortificamur legi, quando Christo morimur in Baptismo, per quem nobis fructus mortis Christi applicatur, ut iidem Patres exponunt; ergo etiam necesse non est vi sermonis Pauli ut lex fuerit mortua in instanti mortis Christi, licet fuerit mortua per corpus ejus, id est, per virtutem mortis ejus. Accedit quod Paulus statim adjunxit resurrectionem Christi, dicens: *Ut sitis alleterius, qui ex mortuis resurrexit,* significans nos non tantum esse mortificatos legi per Christum mortuum, sed etiam per Christum resuscitatum, quia *mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem*

*nostram;* ergo non solum mors Christi, sed etiam resurrectio cooperata est ad mortem legis, et ut nos simus legi mortificati; ergo inde inferri non potest legem fuisse mortuam in morte Christi, id est, in instanti ejus, sed in virtute illius, seu per efficaciam ejus, illa enim sunt valde distincta, ut constat, et ideo confundenda non sunt.

9. *Contra dictam responsionem.*—Sed contra hanc responsionem instatur: nam hinc destruitur discursus Pauli, et similitudo quam affert de lege viri et uxoris: nam in eo exemplo uxor non solum quasi effective, sed formaliter, et in eodem instanti in quo vir moritur, liberatur ab illius lege per mortem ejus; ergo vel exemplum non fuit accommodatum, vel sensus Pauli est, per ipsam mortem Christi, et in eodem momento, liberatos nos esse a lege, ac subinde ipsam legem statim mortuam fuisse. Quapropter, ad satisfaciendum exacte huic testimonio, necessarium est praecipuam illius difficultatem expendere, quae posita est in applicatione illius similitudinis ad rem intentam; quia ante mortem Christi nos non eramus desponsati Christo, nec ratione illius spiritualis matrimonii subdebamur legi, ut per mortem Christi tanquam per mortem viri dicamur liberati ab illa lege. Quod si Christus non est vir cui eramus quasi matrimonio conjuncti, quomodo per mortem Christi liberati sumus a lege, sicut uxor liberatur per mortem viri, ac subinde quomodo quadrat exemplum?

10. *Aliorum expositio.*—Propter hoc varia sunt expositiones: quidam putant Paulum ibi non loqui de lege veteri, sed de lege peccati, a qua per Christi mortem liberamur. Lex autem peccati dici potest, aut lex fomitis, aut lex damnationis, cui nos subjecit peccatum, a qua lege liberamur per gratiam Christi, quia et tollit reatum aeternae damnationis, et licet non auferat fomitem, dat virtutem ad resistendum illi. Juxta quem sensum peccatum ipsum comparatur viro cui homo peccando quasi matrimonio conjungitur, et inde oritur lex peccati, cui homo subjectus est, quamdiu peccatum in eo vivit: mortuo autem peccato per Baptismum, desinit homo esse sub lege peccati: unde in hoc sensu mors Christi non comparatur morti viri, sed solum commemoratur a Paulo, ut causa per quam moritur in nobis peccatum, et consequenter liberamur a lege ejus. Et hunc sensum indicat Ambrosius ibi, juxta quem nihil facit testimonium illud ad praesentem causam.

11. *Refellitur expositio.*—Nobis autem non placet expositio, quia plane loquitur Paulus de lege veteri; de hac enim locutus fuerat in cap. sexto, cum dixit: *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia*; ubi aperte opponit statum gratiæ statui legis veteris, nam illa non dabat virtutem ad resistendum peccato, quam dat gratia. Et certe ubicumque lex absolute dicta gratiæ opponitur in Scriptura, de lege veteri sermo esse solet; unde ibidem subditur: *Quid ergo? peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia?* Quæ interrogatio non habuisset locum nisi esset sermo de lege veteri præcipiente; nam ex eo quod non sumus sub lege peccati, non poterat apparenter inferri liberum nobis esse peccare; respectu vero libertatis a lege, habebat occasionem objectio. Et ideo Paulus respondet: *Absit*; et est æquivalens sententia ad Galat. 5: *Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Ubi aperte erat sermo de libertate a lege veteri; de illa ergo loquitur in dicto cap. 6 ad Rom. De eadem autem lege loquitur in cap. 7, volens ostendere illam libertatem a lege: loquitur ergo de lege veteri. Quod patet etiam ex sequentibus: *Cum essemus* (inquit) *in carne*, id est, in statu legis carnalis, et sine spiritu legis gratiæ, *passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris*, scilicet, per occasionem legis: nam id interpretans paulo inferius objicit: *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Quæ omnia non possunt nisi de lege veteri intelligi, quam etiam vocat *mandatum*, et *legem mortis*, et præterea subjungit: *Ego autem vivebam sine lege aliquando*, quod certe dici non potuit de lege fomitivæ vel peccati, unde illam legem iterum vocat *mandatum*, imo et *mandatum ad vitam*, quod per occasionem factum est mors. De hac ergo eadem lege loquitur, cum superius dicit nos esse mortificatos legi per corpus Christi; tum quia non est verisimilis æquivocatio vocis in tam brevi et claro contextu; tum etiam quia ad prius illud probandum subjungit omnia sequentia, ut ostendit illa causalis, *Cum enim essemus in carne*, etc.

12. *Aliorum responsio.*—Alii vero, licet fateantur loqui de lege veteri, negant tamen loqui de cessatione illius, seu de liberatione

ab ejus obligatione, sed ab ejus dominio, et a servitute ejus. Ut enim supra l. 1 tactum est, ex sententia multorum, aliud est esse in lege, aliud esse sub lege: nam esse in lege est obligari lege; esse autem sub lege est dominari a lege, et reos per illam fieri; et ita dicitur esse sub lege qui subjacet ejus imperio et comminationi, et non recipit vires et spiritum ad illam implendam; in lege autem dicitur esse qui, licet obligetur lege, per illam tamen seu cum illa recipit vires, seu spiritum illam implendi. Paulus ergo (aiunt) in illo capite non tractat de cessatione legis quoad obligationem, sed quoad dominatum, quia, adveniente gratia, jam lex non premit, nec facit reum, si homo recte gratia et spiritu legis uti velit. Ita Adam et Tolet., et sumi potest ex Augustino, libro 83 Question., quæst. 66, qui hunc sensum maxime confirmant, quia Paulus ponit exemplum in lege: *Non concupisces*, a cujus jugo dicit nos esse liberatos per Christum, cum tamen non simus liberati ab obligatione ejus, ut hæretici fingunt; ergo non loquitur de libertate ab obligatione, sed a dominio legis, et a difficultate servandi illam. Et juxta hanc expositionem facile etiam solvetur nostra difficultas. Concedimus enim per Christi mortem et in illa sublata esse dominium legis veteris, quia jam gratia et spiritus ad legem servandam per Christum obtentus erat, licet obligatio legis nondum cessaret.

13. *Refellitur responsio.*—Verumtamen neque hæc declaratio et limitatio verborum mihi probatur. Primo, quia illa doctrina valde generalis est, et non solum de lege veteri, sed etiam de lege naturali, et de quacumque alia tradi posset, quia omnis lex divina sine spiritu gratiæ premit, et per occasionem operatur iram potius quam fructum, et ita Christus per gratiam suam dici potest liberare nos a servitute legis, et facere ut non simus sub lege, etiam gratiæ: at Paulus non hoc tantum intendit, nec in illa sola generalitate loquitur, sed aliquid speciale addidit de lege veteri. Secundo, quia juxta illum sensum non recte accommodatur similitudo et contextus divi Pauli; tum quia, cum in principio dixit: *Lex in homine dominatur, quanto tempore vivit*, loquitur de dominio quoad imponendam obligationem, ut ostendunt præcedentia verba: *An ignoratis, fratres? scientibus enim legem loquor.* Nam scientes legem non cognoscebant aliud dominium legis. Tum etiam quia hoc modo mulier subditur legi, vivente viro, et ab illa solvitur per mortem ejus, utique quo-

ad obligationem et durationem legis. Tertio, quia quando Paulus in cap. 6 dicit: *Non enim sub lege estis*, profecto intelligit etiam quoad obligationem, alias non haberet locum objectio quam subjungit: *Quid ergo? peccabimus, quia non sumus sub lege?* Deinde verba: *Soluti sumus a lege mortis, in qua detinemur*, non significant tantum liberationem a statu existendi sub lege in illa rigorosa significatione, sed etiam a statu essendi in lege: tunc enim liberatur quis a lege in qua detinetur. Denique non aliter per Christum factum est, ut non simus sub lege veteri, quocumque modo id sumatur, nisi tollendo obligationem illius legis; non enim promissus est nobis per Christum spiritus ad totam illam legem implendam, ut sic liberemur adventu ejus, licet non cessarit ejus obligatio. Nam de Christianis dixit Petrus: *Quid tentatis imponere eis jugum*, etc.; ergo Paulus, cum loquitur de illa lege, non alia ratione dicit nos non esse sub illa, nisi quia jam illa non obligamur.

14. *Solvitur aliud argumentum.*—Neque obstat argumentum de præcepto non concupiscendi. Recte enim illi occurrit Salmeron in disput. 6, dicens legem moralem non concupiscendi non obligare nunc ex vi legis Moysi, et ita etiam quoad illam materiam nos non esse sub obligatione ejus, quanquam ex lege naturæ conjuncta cum spiritu novæ legis ad illam materiam obligemur, et ideo non simus per Christum liberati ab omni obligatione legis vetantis concupiscentiam pravam, sed tantum ab illa quæ ex veteri lege proveniebat. Ex quo etiam factum est ut nunc non simus sub ea lege non concupiscendi, eo modo et cum illa imperfectione cum qua erant Judæi ex vi legis. Quod fortasse etiam est intentum a Paulo, non tamen illud solum, neque primario, sed quatenus sequitur ex ablatione legis veteris per legem spiritus vitæ.

15. *Tertia expositio illius loci Pauli.*—Supponendo ergo Paulum loqui de lege veteri, et de ablatione illius quoad substantiam seu obligationem, explicandum superest quomodo mortua fuerit per mortem alicujus cui nos fuæramus conjuncti, et qui ad nos comparetur tanquam vir. Est ergo tertia expositio dicens non oportere exemplum in omnibus accommodare. Quia Paulus non concludit legem esse mortuam ex vi mortis alicujus viri, sed quia illi qui subdebantur lege, mortui sunt per corpus Christi. Et ita dicunt exemplum solum accommodari per argumentum a forptioni, quia si uxor liberatur a lege viri propter

conjunctionem, multo magis quis liberabitur a lege, quia ipsemet mortuus est. Ita fere Chrysostomus, et Theophyl., et est probabile, non tamen placet, quia sic exemplum fere esset superfluum; nam eodem modo et eadem efficacia potuisset Paulus ex illo principio: *Lex in homine dominatur, quanto tempore vivit*, immediate inferre: Sed nos mortui sumus per corpus Christi: ergo jam lex non dominatur in nobis.

16. *Quarta expositio.*—Quarto igitur alii exponunt Christum ipsum fuisse virum cui nupserat Israeliticus populus, atque ita per mortem Christi tanquam per mortem mariti omnes de illo populo mortuos fuisse legi, id est, immunes ab ejus obligatione. Juxta hanc vero expositionem, non solvitur, sed augetur nostra difficultas, quia sequitur illam legem fuisse mortuam ipso facto per mortem Christi, ac subinde in eodem instanti extinctam fuisse. Et deinde alienum est a modo loquendi Scripturæ et Patrum, vocare Christum sponsum aut maritum Synagogæ. In Evangelio enim legimus Patrem fecisse nuptias filio suo, Matthæi vigesimo-seculo; ibi tamen Hieronym., Gregor., Hilar., Orig., et omnes alii expositores intelligunt Patrem æternum non fecisse illas nuptias usque ad incarnationem, sive intelligantur de desponsatione Verbi cum humanitate per incarnationem, sive de desponsatione Christi incarnati cum Ecclesia militante aut triumphante, ut docte exponunt Mald. ibi, et Jansen., c. 115 Concord. Quod autem ante incarnationem intercesserint nuptiæ inter Christum Deum hominem et Ecclesiam, nulli legimus, nec est consentaneum illi statui. Quia ante incarnationem solum jungebantur fideles Christo apprehenso per fidem et sperato ut futuro; desponsatio autem est inter eos qui jam existunt. Non est ergo verisimile Paulum accommodasse illo modo Christo futuro similitudinem viri, et illas nuptias inter synagogam et Christum Deum hominem tacite supposuisse. Præterquam quod illo modo etiam gentiles justi ante incarnationem conjungebantur Christo, et tamen a nulla lege liberati sunt per mortem ejus.

17. *Quinta expositio.*—Quinto igitur exponunt aliqui legem ipsam fuisse virum cui nupta erat Synagoga, et ita per illius mortem liberatos esse Judæos ab ejusdem legis obligatione. Ita refert Tolet., annot. 5, ex multis Patribus antiquis, et sequitur Pereir., disp. 5. Sed non quadrat expositio si de ipsa lege proprie loquatur, quia Paulus distinguit virum